

ARITHMETICES

verò ab Ebraico Sopbar, id est, numeravit, deducitur.

Estne vnitas numerus?

Non, sed principium tantum numeri: non est enim multitudo, nec multa significat, vt definitio numeri habet.

Quotuplex est numerus?

Triplex. Aut est Digitus, aut Articulus, aut Compositus.

Quid Digitus?

Qui minor est denario, vt sunt nouem simplices numeri, vt: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

Quid Articulus?

Qui in decem æquales partes diuidi potest. In summa, quicumq; numerus Ziphram, quam vocant, nihili, habuerit annexam, vt: 10, 20, 300, 1000, 1550.

Quid Compositus?

Qui ex Articulo & Digito constat, vt: 11, 12, 13, 14, 15, 21, 23, 1563.

Estne alia numerorum diuisio?

Alius Par, alius est Impar.

Qui dicitur Par?

Qui æquales partes citra aliquod residuum in se continet, vt: 2, 6, 8.

Qui Impar?

Qui non exactè in partes æquales diuidi potest, vt: 3, 9, 5, 7.

SUNT